

quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Tu manu tua gentes disperdidisti, & ipsos plantasti, afflixisti populos, & ipsos extendisti. Nec .n. in gladio possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuit tibi in ipsis. Tu es Rex meus o DEVS, qui promisisti salutem Iacob, per te inimicos nostros euertemus, & in nomine tuo proculcabimus insurgentes contra nos. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit. Saluasti enim de affligentibus nos, & odientes nos confudisti. DEVM laudabimus tota die, & in nomine tuo confitebimur in secula. Nunc autem cur repulisti, & confudisti nos? & non egrederis Deus cum exercitibus nostris? Fugari nos permisisti ab inimicis nostris, & ab osoribus nostris diripi nos. Dedisti nos tanquam oues in escam, & inter gentes dispersisti nos? Vendidisti populum tuum sine precio, & precium eorum non multiplicasti. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos in prouerbiu gentibus, commotionem capitis inter populos. Tota die ignominia mea coram me est, & confusio faciei meae cooperuit me. Hec omnia venerunt super nos, nec tamen obliti sumus tui, & inique non egimus in testamento tuo. Et non recessit retro cor nostrum, neque declinauit gressus noster a semina

semina